

Johann Masse

**Memoriam Matronæ Exacta Jam Ætate Venerabilis Prænobilissimæ Et Eximiarum  
Virtutum Ornamento Coruscæ Dominæ Elisabetæ Margaretae Hassertz ...  
Postquam, Qvod Mortale Erat, Deposuerat, Die X. Septembris Anno MDCCXLVIII.  
In Domino Qviescentis Cum Ossa Ejus Insigni Funeris Pompa, Comitantibus  
Bonis, Magoa Vulgi Frequentia. In Monumento Suo Conderentur Posteris  
Commendaturus De Sabbatismo Piis Futuro Qvædam Disserit Johannes Masse,  
Rector Scholæ Tanglimensis, Regiæ Societatis Teutonicæ, Qvæ In Alma  
Gryphica Floret, Membrum**

Gryphiswaldiæ: Typis Hieron. Johannis Struckii, [1748]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1733926216>

Druck    Freier  Zugang



600  
100

JZ II

4690

-40

# MEMORIAM

MATRONÆ EXACTA JAM ÆTATE VENERABILIS  
PRÆNOBILISSIMÆ ET EXIMIARUM VIRTUTUM  
ORNAMENTO CORUSCÆ

D O M I N Æ

# ELISABETÆ MARGARETÆ HASSERTZ,

V I R I

D U M V I V E R E T

PRÆNOBILISSIMI ATQVE DOCTISSIMI

# JOH. CASPARIS ZUR-EICKEN

CONSILIARI REGII AULICI ET DOCTORIS MEDICINÆ

V I D U Æ R E L I C T Æ

P L A C I D E ,

P O S T Q U A M , Q V O D M O R T A L E E R A T , D E P O S U E R A T ,

D I E X . S E P T E M B R I S A N N O M D C C X L V I I I .

I N D O M I N O Q V I E S C E N T I S

C U M

O S S A E J U S

I N S I G N I F U N E R I S P O M P A , C O M I T A N T I B U S B O N I S ,

M A G N A V U L G I F R E Q U E N T I A .

I N M O N U M E N T O S U O C O N D E R E N T U R

P O S T E R I S C O M M E N D A T U R U S

D E

# SABBATISMO PIIS FUTURO

Q V Æ D A M D I S S E R I T

# JOHANNES MASSE,

R E C T O R S C H O L Æ T A N G L I M E N S I S ,  
R E G I Æ S O C I E T A T I S T E U T O N I C Æ , Q V Æ I N A L M A G R Y P H I C A  
F L O R E T , M E M B R U M .

---

G R Y P H I S W A L D I Æ ,

T Y P I S H I E R O N . J O H A N N I S S T R U C K I I .



# I. N. J.

**E**tsi vitam tranquillam & quietam, remotam a procellis invidiarum, & motuum anfractu agere, tantæ felicitatis est merito existimanda, ut nihil dulcius, nihil gratus, nihil felicius esse possit: non tamen cuivis contingit hanc adire Corinthum, seu optuta frui pace; eorum vero, qui usque ad extreum spatium tranquillum atque otiosum spiritum duxerunt, deprehenduntur pauci. Alium enim insatiabilis tenet avaritia; aliud in supervacuis laboribus operosa fedulitas; alius vino madet; alius inertia torpet; aliud defatigat ex alienis judiciis suspensa semper ambitio; aliud mercandi præceps cupiditas circa omnes terras, & omnia maria spe lucri dicit. Quosdum torquet cupido militiae, nunquam non, aut alienis periculis intentos, aut suorum anxious; multos affectatio alienæ fortunæ, aut suæ odium angit. Urgentia etiam alia circumstant vitia undique; quæ nec resurgere, aut in perspicientiam veri attollere oculos sinunt, sed mersos, & in cupiditatibus infixos premunt. Nunquam illis ad se recurrere licet, si quando aliqua quies contigit; sed velut in profundo mari, a quo post ventum quoque voluntatio est, fluctuantur, nec unquam illis a cupiditatibus suis otium instat. Eheu! quam procul, qui, quantum dulcedinis insit quieti, prorsus ignorant, a pace absunt. Hos vero passis quasi manibus in veram a deviis viam reducere annituntur, qui a quiete, quam quæsivisse visi sunt, voce barbara cognominati fuerunt *Quietistæ*. Horum dux & auctor Seculo decimo septimo fuit MICHAEL MOLINOS, Hispanus ille famigeratissimus, qui & nova cultus divini specie, & vitæ integritate multa hominum millia in stuporem & admirationem sui rapiuit. Romæ scripsit ad familiares manuductionem spiritualem, quæ ad pacem internam dicit, qui libellus latino pariter ac germanico sermone divulgatus est. Nec tamen ut araneus ex se ipso hanc finxisse quietem existimatur Molinos, sed faciem ei prætulit in ecclesia Orientali GREGORIUS PALAMAS, Archiepiscopus Thessalonicensis, qui floruit Seculo XIV. quo tempore Monachi, vel alii Deum ex regula colentes, appellati fuerunt græco nomine *Hesychastæ*, seu quiescentes, per jocum vel ludibrium potius dicebantur *Omphalopyschi*, item *Umbilicanimi*, quia ad umbilicum si forte per quietem & somnum caput inclinassent, luce divina inde col-

Iustrari disseminaverunt, in precibus desudantes tanta quiete gloriabantur, ut eadem, si credere fas est, qua Christi discipuli in monte olim, luce illuminarentur. Quid, quod eo temeritatis processerunt, ut hac luce ornati Sacrolanctam Trinitatem oculis corporis fecernere posse & propterea dulcissima quiete frui nullatenus afferere nullatenus dubitaverint. Hi vero ex cœtu illo, tanquam ex equo Trojano, prodierunt, quem congregavit SIMEON Junior, cognomento Theologus, Senior & Abbas Constantinopolitanus Seculo XI. insignis. Hic multa de illuminatione & tranquillitate animi differendo tandem hærefoꝝ accusatus in vinculis detinebatur. Adeo nubem pro Junone, ut dici solet, amplexi sunt, qui externo pietatis fucatæ habitu induti, non pacem sed bellum, non quietem, sed turbas, non otium, sed motus excitaverunt. Hodiernis temporibus reviviscit celebris Hispanus, ALPHONSUS ANTONIUS SARASA, cuius liber de arte semper gaudendi, Latine & Germanice redditus genere dicendi calamistrato legentium animos fere omnes ita demulxit, ut non quod pueri in fata, in hoc libro deprehendisse putent. Non quidem affirmare ausim, quod idem cum reliquis cornu inflasse videatur hic auctor: argumenta tamen ejus, quibus lectores ad veram animi quietem movere & somnum quasi leví inire susurro allaborat, licet non sint ficalnea, quæ a providentia divina sunt & tranquillæ conscientiæ fructibus desumpta, haud parum tamen ab iis, quæ SENECA & alii de hac re præceperunt, differre negari minime potest.

Absit vero, ut laudibus horum scriptorum quicquam detraxisse videar. Largiar enim & ambabus concedam manibus, fructu prorsus non caruisse, quæ tradiderint. Sit itaque ejusmodi pax; sit ejusmodi lætitia ex quiete resultans; sit ejusmodi manuductio ad pacem animi obtaindam; sit ejusmodi ars semper gaudendi, si ars dicenda est operatio, seu actus gratiæ Spiritus Sancti; non tamen est pax secura, candida & perpetua; non est quies optima, dulcissima & perfectissima. Hæc, hæc est supra vires nostras; hæc superne donatur; hæc non est omnium hominum, sed eorum tantum, qui Deo adhærent; hæc perdurat nec interpellabitur unquam; hæc in ipso Deo terminatur; hæc sui simile non habet; hæc denique est, quam Spiritus Sanctus docet in epistola ad Hebræos cap. IV. v. 9. Ἐρα αἰτολείμεται σαββατισμὸς τῷ λαῷ

*λαῷ τῇ οἰς.* O! quies optima! o! quies perfectissima! Digna  
 sane sunt hæc verba, quibus indagationi paululum inhæreamus  
 Apostoli finis est, admonere nos ad finem, addita ratione, ne  
 eadem nos, quæ Israelitas, maneat pœna. Quemadmodum  
 itaque olim Abrahami posteri, fide destituti, terram pro-  
 missam non occupaverunt; ita quoque & hodie ii, qui fidem  
 verbo Dei habituri non sunt, quiete optima, qua Deus frui-  
 tur, privabuntur. Quam quietem ut clariorem nobis red-  
 dat Apostolus, & quasi vivis coloribus depingat, manu nos  
 dicit ad stupendum creationis opus, a quo die septimo  
 quiescere placuit summo rerum omnium arbitro. Qualis  
 vero sit hæc quies exprimit vox *σαλλατιούς*, ex fonte hebraico  
 derivata. Græca quidem lingua habet *κατάπαυσην*, refectionem  
 a labore; sed *σαλλατιούς*, Hebraicæ originis omnem hujus fe-  
 licitatis ex hac quiete redundantis ambitum comprehendere  
 potuit; hæc sola vox apta erat exprimendis affectionibus &  
 perfectionibus quietis, quibus animæ Deo debitæ revera de-  
 lectabuntur. Et quid quæsto mentes nostras elevare magis  
 potest, quam si ejusdem, qua Deus ipse frutur, quietis red-  
 damur participes? Quid magis in admirationem rapere nos  
 potest, quam summa beatitudo, qua perfuumur, cum ad  
 eandem, qua Deus gavisus est, absoluto opere creationis,  
 quietem nos pervenire certum sit. O! quietem optatam,  
 qua nos, qui pulvis & umbra sumus, refocillabimur.

Quid vero est Dei quies, seu quomodo eam nobis con-  
 cipimus? Hæc Dei nostri quies dicitur, quod Deus, quæ  
 summa ipsius est sapientia atque libertas, ab omnibus, quæ  
 intra sex dierum spatium, solius verbi jussu, produxit, ope-  
 ribus quieverit, atque infinitis, quas in se ipso ante conditum  
 mundum habuit, divitiis, usus sit, iisdemque delecta-  
 tus. Hæc est illa quies, qua omnia secula seculorum, nullis  
 limitibus circumscripta, summa cum voluptate transegit;  
 quies, quam, in se solo cum contentus sit, perpetuam ser-  
 vavit. Quies perfectissima, quæ in Deo, priusquam ullum  
 opus ex sinu Deitatis prodiiit, locum habuit. Deus ipse nam-  
 que fons est suæ beatitudinis, contemplator suæ ipsius pul-  
 chritudinis; & suæ ipsius gloriæ repræsentatio; quies, cui  
 neque addi neque detrahi quicquam potest. Vel unica gut-  
 tula vastissimo mari addit, quod ante non habuit: Cultus  
 vero adorationis omnium angelorum & sanctorum hominum,  
 nec

nec non obedientia omnium rerum conditarum, majestatem Dei in se ipso quiescentis ac felicitatem augere nequaquam potest; nec, si fieri posset, ex malorum spirituum ac hominum resistentia atque insultibus ullam ejus quies patitur jacturam. Si enim Apostolus, & quem secutus est, Moses dixit: Deus quievit, idem est, ac si uterque affirmare voluis-  
sent, Deum ex contemplatione essentiæ suæ perfectissimæ omniumque bonorum summam cepisse voluptatem. Quæ quidem voluptas nostro se sicut animo clarius, si ad ea, quæ intellectui & voluntati Dei insunt perfectiones, attendimus. Varia enim sunt nomina, quibus consummatissimus Dei intellectus nobis proponitur. Si respiciamus præsentia, dicitur visio; si præterita, admonitio; si futura, providentia; respe-  
ctu rerum omnium, omniscientia; respectu gubernationis, prudentia. Quemadmodum igitur in intellectu divino im-  
mensa datur cognitionis abyssus: ita non minus stupenda sapientiæ profunditas deprehenditur; quæ sapientia, si ad nostri ingenii modulum metiri velimus, plus infert, & latius se extendit, quam omniscientia. Hæc contemplatur rerum omnium naturam; illa vero unumquodque considerat, non quid est, sed quid esse debet, regit, tendit & ordinat omnia & singula ad scopum sibi præfixum. Omniscientia Dei est quasi speculum, omnes res, earundemque connexiones sibi repræsentans; omnisapientia est quasi amussis, ad quam omnia examinantur & dijudicantur. Quanta quæso beatitudi-  
tudo! quanta voluptas ex hac rerum omnium cognitione perfectissima percipitur in intellectu divino. Quodsi igitur tantum quietis testimonium unica Dei affectio potest afferre, quid quæso ex omni omnium perfectionum ambitu est pe-  
tendum? Quas quidem ordine enumerare vires nostras su-  
perat; non possum tamen non quasdam depromere, ut eo clarius innotescat, quantam voluntatis & quietis, quæ in Dei voluntate deprehenditur, meditationem nobis suppeditent. Amor vero, quo semet ipsum, & omnia quæ produxit, fo-  
vet ac complectitur, omnium primo sese manifestat; amor hic conjunctam secum habet sanctitatem, qua Dei nostri quasi ornamentum est, sicut misericordia ipsius divitiæ. Sanctitas hæc testatur de perfectione reliquorum attributorum, quæ in Deo sunt. Sapientia enim ad fraudem potest ab homini-  
bus detorqueri, potentia degenerare in tyranniden; cui vero  
poten-

potentia & sapientia est cum sanctitate, ibi omnia sanctissimis circumscribuntur limitibus. Umbram potentiae divinæ depingit nobis tonitru & procella; delineationem immutabilitatis divinæ quodam modo suppeditant cautes; imaginem vero sanctitatis divinæ deprehendere licet in sanctis angelis atque hominibus; & placidam hæc sanctibus Deo parit quietem.

Et hæc est illa quies, cuius participes redduntur omnes in Christum credentes; quanquam enim est quies Dei, ea tamen est ejus ratio, ut peccator pœnitentiam agens & meritum Christi mediatoris vera fide apprehendens, eadem frui quiete, ejusdemque particeps redi possit. Hujus quietis primitias Deus, quæ ipsius est bonitas, in hac jam vita credentibus offert, non imputando ipsis peccata, imputando vero justitiam & sanctitatem mediatoris, adoptando, tranquillando conscientiam, & renovando. Hæc in regno gratiæ oblata nobis quies alitur & augetur, si renovati iis rebus, quæ intellectum pariter & voluntatem reficere ac recreare possunt, delestantur; si dicit ipse Deus intellectum piorum sancta voluntatis suæ cognitione, ut apertis quasi oculis thesaurum in evangelio reconditum perspicere possint; ut cœlestis in nobis resplendescat splendor divinæ sapientiæ, misericordiæ, justitiae, sanctitatis, veritatis, & quæ sunt bona alia, quibus nos abunde ornat Pater cœlestis, nos in filio suo diligens. Quis est, qui hunc quiescere, & summa voluptate capere neget? At enim vero quanta animi perturbatio est in iis, quos ira Dei, maledictio legis, accusatio conscientiæ, timor pœnæ convictos scelerum suorum reddit; quanta affectuum pravorum vehementia in iis deprehenditur, qui superbia, invidia, libidine & avaritia torquentur; quam placide contra & tranquille se gerit pius, sua sorte contentus, & Domini manibus se submittens; nec id solum, sed gloriatur insuper spe gloriæ futuræ, gustatque virtutes seculi futuri. Insignis sane tranquillitas! qua in hac vita jam fruimur cum Christo per fidem uniti; verum enim vero licet hæc excellens sit felicitas, & quies, illa tamen ad quam Spiritus sanctus digitum intendit, infinitis modis est præstantior; nam quies est, qua non nisi perseverantes in fide fruuntur; quæ populo Dei in novo Testamento adhuc futura est, atque sic ab ea, quæ jam in regno gratiæ percipitur, multum differt; ad quam pervenissent

sent patres V. T. si fidem habuissent verbo Dei; quæ omnes, qui hujus erunt participes, ob omnibus operibus quiescentes reddet, sicut ipse Deus a suis quiescit; hanc enim in regno gratiæ quietem, ea quæ nos manet, absorbebit, ut guttulam mare. De hac vero optima ac perfectissima quiete dicendum quidem esset; cui vero tantum est flumen ingenii, tanta dicendi vis atque copia, ut non dicam exornare laudibus, sed leviter attingere seu describere eam possit quietem, qua Deus nos in æternum beabit, quos in filio suo adoptavit, præstat itaque tacere, quam imperfæcte de hac quiete, quæ vires intellectus nostri superat, differere balbutientium more indicaremus pusillum de hac quiete, affirmando, nos ab omni peccatorum & calamitatum onere liberatos ineffabili frui felicitate ex cognitione, amore & lætitia cœlesti.

Hac quiete, quæ omnium optima est ac perfectissima, hac prosperitate, hac salute nostra jam in Domino placide quiescens Matrona prænobilissima, ELISABETA MARGARETA HASSERTZ, exantlatis omnibus, quas induitio hic mundus nesci secum volvit calamitatibus, perficitur. Nulla namque quies in rerum omnium universitate, quocunque etiam oculorum dirigimus aciem, deprehenditur. Nulla quies inest, nec inesse debet corporibus cœli, quibus ad leges motus sistere non datur usque ad consummationem seculi; nulla quies permittitur iis, qui assidue vexantur, infestantur & malis gravissimis premuntur ab hostibus; nulla denique quies per omne vitæ nostræ tempus speranda est ei, qui, quod plena sit vita, quam hic vivimus, turbarum, molestiarum, curarum, laborum atque calamitatum, didicit. Omnium vero molestiarum expertem esse, ac vitam agere quietam, non nisi in sinu Abrahami, ubi quietis divinæ redidimur participes, datur. Quantum vero ærumnarum, & quam diu pertulerit beata defuncta, priusquam optimam consecuta sit quietem, indicare paucis, & ordo rei & nominis memoria requirit. In hanc miseriарum vallem venit nostra, quæ jam obdormivit, matrona, & anno a Christo nato, MDCLXXI. Gustrovii illustri quidem terræ Megapolitanæ urbe nata, sed virtutum speciminibus omni nobilitate clarior, quæ tantæ in illa fuerunt, ut animi dotibus, fide ipsa & pietatis exercitio omnes, quas habuit, comites vicerit. Id quod  
gratiæ

gratiæ divinæ, nec non præceptis ac monitis eorum aquibus genita fuerat atque educata, debuerat.

Patrem venerata est Virum Prænobilissimum, Amplissimum atque Doctissimum HENRICUM HASSER TZ, J. V. Licentiatum inclutissimum, Consulem atque Syndicu[m] civitatis Tanglinensis gravissimum ac meritissimum. Matrem vero adspexit Matronam Prænobilissimam, omnique virtutum decore fulgidissimam MARGARETAM KOBOWEN, Consiliarii intimi, in aula GUSTAVI ADOLPHI, Ducis Me-gapolitani, excellentissimi filiam. Nisi beate Defuncta gloriam nativitatis ac stirpis a parentibus & majoribus acceptam obtinuisse, virtutibusque suis adservasset, altius repetendum esset prosapia decus. Jam vero super sedere hoc labore possumus, cum inter nos omnes constet, quantam in tota vita constituenda curam adhibuerint parentes; & qua circumspetione fuerint usi, ne ullo in officio claudicaret filia ipsis per dilecta, nec a pravis cupiditatibus, mentem miserrime perturbantibus, prorsus abriperetur, sed Deo se daret. Idque non sine insigni emolumento. Manus enim Dei quievit super Nostram Deo deditam, eandem curando & protegendo adversus turbas & molimina varia seculi pravi; Spiritus Sanctus quiescebat super Nostram beate Defunctam, variis gratiæ suæ donis eam ornando, ut indies in fide, pietate, virtutibusque Deo placentibus, & sexui muliebri convenientibus cresceret. Hic pietatis candor, hic splendor virtutis latere diu non potuit, sed in admirationem & amorem allexit multos, qui justum virtuli pretium statuere noverant, probe gnari, quod ibi quies esset certissima, cui ejusmodi bonum contingere. Vir igitur Nobilissimus, atque Amplissimus JACOBUS RUAN, Camerarius & Pharmocopola hujus urbis celeberrimus, cum hac virgine conjugium iniit Anno MDCCXII. Dissoluto vero per mortem hoc vinculo, vitam solitariam quidem, in Dei tamen providentia acquiescebat. Quo dirigente Vir Prænobilissimus atque Experientissimus CASPAR ZUR-EICKEN, Consiliarius Aulicus & Doctor Medicinæ virtutis, qua inclaruit, decore per motus, A. MDCCXXI. hanc sibi MARGARETAM matrimonio junxit. Utrumque quidem conjugium ex Dei providentia expers erat prolis, minime vero destituebatur prosperitate, quæ optimam pariebat quietem. Amore quippe & humanitate certabant uterque, & vinci & vincere

## VIII

vincere amore, voluptatis erat, quæ tranquillitas animi annos XXV. durabat. Atque sic iterum marito orbata vitam in solitudine finire secum constituerat. Privignos vero ex conjugio priori tenerimo semper amplectebatur amore; sicuti unumquemque humanitate amplectebatur, egenos vero, quibus rebus indigebant, juvabat, nec iis benefacere quiescebat. Adeo fides per charitatem operosa semper fuit; nec facile quidquam, quod ad tranquillandam conscientiam facit, intermisit. Verbo divino faciles aures præbuit & attentas; in solo Deo rebusque divinis quietem atque voluptatem quærebat, grata semper mente opes, quas benigna Dei manus largita erat, agnoscens, & tantum aberat, ut iis superbiret, ut potius, quam fragiles atque caducæ essent, plus una vice meditaretur, & ad ea, quæ in vita æterna nos manent, obtainenda excitaretur, cum adhuc prospera uteretur valetudine, multo vero magis, quum & senectus, quæ ipsa morbus est, mortem, quam non fugiebat, instare admoneret, cuius rei ipsam beatæ Defunctam apoplexia, quæ jam ultra anni spatum corripere eam ceperat, & vehementius circa finem vitæ vexaverat certiorem reddidit, donec tandem d. 10. Sept. A. MDCCXLVIII. placide in Domino obdormivit, postquam annos septuaginta septem compleverat.

Sic ultimum vitæ terminum, quem Moses delineavit, assecuta est beate in Deo quiescens; sic fatis diu, ex multorum judicio vixit; addo, fatis diu etiam sibi ipsi vixit & naturæ; Rechte quidem se haberet istud diu, si sibi soli vixisset, aut sibi soli nata fuisset, nunc vero cum relictorum ex fratre & sorore nepotum salutem ipsius cura atque pietas complexa sit, non fatis diu vixisse cognatis dilectissimis videtur cuius vitam adhuc desiderant. Non enim hæc tantum vita dicenda est, quæ corpore & spiritu continetur; illa, illa vita est vera, quæ viget pace & quiete optima; quam alit fruitio Dei, quam ipsa æternitas sine fine intuetur. O! quantum salutis cum ejusmodi vita est conjuncta! O! quantum otii atque quietis datur, ubi intellectus & voluntas pascitur, alitur & impletur uberrime. Nostri enim in hac vita intellectus arctissimis circumscriptus est limitibus; quantum est, quod nescimus; quantum est, quod obscure cognoscimus. Quis quæso nostrum cum certitudine in hac imperfectione cognoscere poterit, cur Deus tot angelos labi; cur in Adamo omne genus humanum seduci

seduci permiserit; cur primum mundum tantæ improbitatis processisse siverit, ut octo modo homines ab interitu fuerint servati; cur per Antichristum & Mahometem tot millia hominum a vero veritatis divinæ tramite aberrare concederit? Magnus ille gentium Doctor, Paulus, profitetur nostram cognitionem esse imperfectam, maneam & mutilam. Parum quippe est, quod ex multis cognoscimus; parum ex iis, quod scire debebamus; parum, quod scire poteramus; parum eorum, quæ eruditiores norunt; parum eorum, quæ intelligere volumus; parum eorum, quæ intelligemus perfectissime, simulac sabbatum, seu quietem, qua ipse Deus nos in altera vita beabit, naëti fuerimus. Videmus hic modo per speculum; speculum vero nobis non ipsam rerum essentiam, sed imaginem repræsentat. Eadem quoque est cognitionis nostræ ratio; sive enim intellectu nostro intueamur speculum naturæ, sive oculis fidei speculum verbi divini inspiciamus. Natura duce quidem adeo manifeste Deus nobis proponitur, ut omnes, vel negandi Deum, vel nos excusandi, latebræ nobis præcludantur; obscura tamen est hæc notitia, si cum ea, quam verbum divinum nobis subministrat, conferatur. Eadem nostri omnium hac in re ratio est, ac civis simplicis ac plebeji, quid quidem Regem se habere novit. Quam vero obscura hujus sit cognitio, inde apparebit, si in aula constitutus, amicum Regis pro ipso Rege salutet. Majorem quidem claritatem speculo verbi divini inesse negari potest minime: at vero, quanta ipsarum rerum, quas inde perspicimus, datur obscuritas. Stella, vel primæ magnitudinis luce quidem sua gaudet; si tamen jubar solis cum ea compares, obscura nobis videtur. Ita etiam est cognitio nostra, licet ex verbo divino per Spiritum Sanctum hausta, si conferatur cum ea notitia in vita altera, ubi cognoscemus Deum, sicut ab ipso cogniti sumus, & faciem Dei intuentes in justitia, saturati erimus. Quodsi enim solis radii, tenebris discussis, incolas terræ luce sua reficiunt; quanta quæso dulcedine recreabitur intellectus noster, cognoscens & intime perspiciens lumen gloriæ divinæ, magnum pietatis mysterium, Θεοῦ παπτού, harmoniam justitiae & misericordiæ Dei, abyssum cognitionis, quæ est in Deo, perfectionem ejus sapientiæ pulchritudinem veritatis; miraculum sanctitatis, magnitudinem

nem potentiae, divitias misericordiae, & alias, quas in Deo intuebimur, perfectiones.

Quanta ex hac cognitione perfectissima flamma amoris divini; quanta hunc amorem comitabitur laetitia. Insignis sane & incomparabilis est haec quies. Et haec ipsa est, qua Nostrae in Domino quiescentis ELISABETÆ MARGARETÆ HASSER TZ anima jam fruitur in cœlo


*Sedes ubi fata quietas offendunt.*

Nec corpus ejus caret requie. Corpus, quod peccati expers non erat, corpus quod variis calamitatibus, & morborum insultibus, & denique morti ipsi erat subiectum, jam quiescit, procul ab omni turba, procul ab omni miseria, procul ab omni infirmitate, & quidem ita quiescit, ut ablatis omnibus, quæ gloriæ cœlesti & immortalitati obstatabant, angelicis qualitatibus ornatum cum anima iterum reduniatur, ut anima & corpore particeps fiat salutis sempiternæ & in hac gloria perenni acquiescat. O! quies dulcissima; O! Sabbathum Dei. O! tranquillitas perfectissima.

Vobis autem, Lugentes, hanc Beatæ nostræ quietem expendendam ulterius relinquo, ut habeatis, quod dolorem vestrum leniat, mœrorem excutiat. Licet vero querela nemini vertenda sit vitio, modum tamen ei statuere vult optimæ felicitatis quies, qua beata nostra gaudet. Vult amor ejusdem in vos tenerrimus. Concedite igitur Amitæ, Materteræ ac Agnetæ, quam Deus ipsi dedit, quietem.

Ego equidem non invideo, miror magis & divinam Dei gratiam, qua Beate defunctam amplexus est, prædico, quietem, quam Deus omnibus piis promisit, animæ in cœlo, & exanimi corpori in dormitorio placidam precor; memoriam potius, virtutibus hujus Matronæ dignam, perennemque omnibus, qui pietatem suspicere, amare & exercere didicerunt, commendaturus.







a sie werden Gott schauen: Dazu ward sie aufzunommen den 10. September um Mittag, dieses 8ten Jahrs, nachdem der Schlagflusß einige Zeit den Körper entkräftet, und endlich das Ende des Lebens und den Anfang ihrer völligen himmlischen Seligkeit machte.

Wir gönnen dir, theure Seele, deine Herrlichkeit, auf du hier geglaubet, gehoffet, und in Demuth freitet hast. Aber so denken Sie vielleicht wir Leidtragende! Wir haben, wollen sie Unzuschätzbares Gut eingebüßet, da wir jen beraubet sehen, welche sich mütterlich Erziehung, mütterlich bey unsrer Erhalterlich bey unsrer Versorgung bewiesen. uns insonderheit ein grosser Schatz, eine Perle. Aber nun ist sie verloren.

nicht verloren, bekümmerte Angehörige! Sien sich vielleicht hiebey der sonderbaren Zeit, da die schönste Perle aus der Krone des hochselige König in Schweden Carl der Erwürdigen Andenkens, nach vollzogener Auf das scheu gewordene Pferd steigen so meynen, daß auch ihre kostbarste Perle, auch ihrer Familie, die ehrwürdige Frau

